

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

LIB. XII. TIT. VI. De Conditione Indebiti.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9044

Qv. IV. *An causa turpi in cautione expressa tota promissio nulla sit?*

Laut. pag. 199. verb. Sed causa turpi &c. Totam rem expediui supra l. 2. tit. 14. q. 36. Ubi distinxī inter factum turpe promissum, & inter promissionem rei licitæ ob causam turpem: illud jure non valere, l. 26. l. 27. l. 123. V. O. hoc vero subsistere dixi. Atque de eo casu loquuntur l. 134. pr. V. O. L. f. pr. Cond. ob turp. caus. l. 5. C. Inut. Stip.

LIB. XII. TIT. VI.

DE

CONDICTIONE INDEBITI.

Qv. I. *Cur conditio indebiti sit introducta, cum rei vindicatio sufficere videatur?*

RESP. Jure civili in iis causis, ubi dominium in alterum consensu meo est translatum, rei vindicationem non dari constat: Neque enim vindicare possum rem, cujus dominium meum amplius non est; ideoque ex æquitate juris Gentium, si forte justa causa deficit, mediante conditione, jus mihi salvum est: Cum ergo hæc conditio, ut & reliquæ, ex æquitate naturali dentur, l. 66. h. inspicitur, non quid ex formula juris civilis, sed quid jure gentium & ex naturali æquitate est debitum vel indebitum. L. 47. in f. l. 64. ff. h. Vid. sup. q. 2.

Qv. II. *An conditio indebiti sit stricti juris?*

AFFIRMATUR: Nam cum is qui non debitam pecuniam solvit, alterius negotium gerat, indeque in conditione indebiti negotium inter partes contrahatur, l. 33. ff. h. merito ad negotia vel bonæ fidei vel stricti juris pertinere debet. Vide B. Par. in Hyp. Inst. de act. §. 23. Non autem pertinet ad negotia bonæ fidei; tum quia in §. 28. de actionibus non continetur, tum quia usuræ ex eo negotio non præstantur, l. 1. C. h. tum denique quia tota ratio negotiorum bonæ fidei (de qua infra tit. de obl. & act.) hic cessat: Necessario ergo erit stricti juris: Secus ac in reliquis conditionibus, quæ sunt arbitrariæ. Vide tit. præced. q. 3. & infra q. 20.

Qv. III.



Qv. III. *An tunc demum detur conditio certi, quando dominium in alterum translatum est?*

Ita putat Autor: & conditionem incertam dari, ait, ubi non dominium, sed possessio, promissio, vel acceptilatio repetitur. Verum *Laut. pag. 200. verb. Et quidem ad conditionem certi.* infra tit. de Cond. tritic. q. 1. demonstrabitur, conditionem certi locum demum habere, si pecunia numerata repetitur; in omnibus autem reliquis casibus, sive dominium translatum sit, sive quodlibet aliud jus, conditionem incerti sive triticariam dari. Vid. l. 1. pr. d. Cond. trit. & l. 12. ff. de Novat.

OBJ. L. 33. ibi: *quia nihil accipientis faceret, sed suam rem dominus habere incipiat.* ff. h. t. l. f. in fin. ibi: *Et proditum est, neminem rem suam nisi furi condicere posse.* Conf. §. 14. Inst. de act. l. 53. h. t. In quibus omnibus dicitur conditionem non dari ei, qui dominium non transtulit.

RESP. Ibi nec conditio certi nec incerti datur, quia id quod actoris jam est dari petitur, quod quis autem jam habet, id ei dari amplius nequit. d. §. 14.

Qv. IV. *An cautio Et promissio hac actione condici possit, an tantum conditione sine causa?*

Prius AFFIRM. (1) ex l. 31. ff. verb. indebiti promissi habet conditio- *Laut. pag. 200. verb. Ad conditionem incerti Et.* nem, h. t. (2) l. 3. C. ibi: *cum Et soluta indebita quantitas repeti possit, multo facilius quantitatis indebitae interpositae scripturae conditio competat Et. h. t.* (3) l. 5. in f. ibi: *si falso existimans se damnatum dare, promississet Et. etiam incerti condicere eum posse, ut liberetur.* ff. A. Emt. Idem quoque (4) dicitur in l. 2. §. 3. Et 4. ff. donat. & l. 6. C. Jur. Et fact. ign.

OBJ. L. 2. Et l. 4. C. Cond. ex lege ubi datur conditio sine causa.

RESP. In d. l. 2. solutum est debitum, & retentum chirographum sine causa: In d. l. 4. chirographum spe numerationis datum est, cum nulla causa quidem esset, sed spes, non error, debiti. In neutro ergo agitur de indebito per errorem soluto, sed in d. l. 2. agitur de vero debito; in l. 4. non errore, sed spe datum est.



Qv. V. *An ille qui errore, putans se beneficium accepisse, remunerandi causa aliquid dat, illud condicere possit?*

Laut. pag. 200. verb. Hinc ex obligatione &c. **R**ESP. Prout hic proponitur quaestio, verum est, quod is, qui remunerandi causa, putans se beneficium accepisse quod non accepit, aliquid dat, repetere non possit; non ideo quasi ex naturali debito imperfecto solverit, uti Autor putat, sed quia ipsa datio causam veram, scil. donationem, continet: Non ergo quia debitum naturale fuit, sed quia donatio est, quam non impedit falsa causa, *l. 52. l. 165. §. 2. h. nedum opinio beneficii accepti. ibid.* Retinet ergo qui accepit, non quia ante debitum fuit natura, sed quia nunc donatum; non ex causa praecedente solutionem, sed ex ipsa solutione, quae donatio est. *arg. l. 3. §. 7. Cond. caus. dat.*

Secus ergo si tanquam ex alia causa, forte putans se mutuo accepisse cum non acceperit, solvit ei a quo beneficium olim accepit, id enim repetit, quia causa nulla est; non enim est mutuum, quia id non contraxit; nec beneficium pro causa habetur, quia hoc non producit obligationem nec civilem nec naturalem, adeoque nullam quae effectum juris habeat. Vid. late *tract. de princ. Jur. Nat. part. 1. quaest. 4.* Et cessat quoque ratio quae ante fuit, scil. animus donandi, cum animum solvendi habuerit; conditio autem tunc datur, quando partes errore facti putant deberi ex causa ex qua traditur, hic autem partes ex beneficio nec solvunt, nec accipiunt, nec deberi id credunt, sed ex alia causa. Vid. *Laut. p. 202. in fin. ibique late Dd.*

OBJ. (1) Quod uxor, quae putat se ex dote obligatam solutum repetere non possit, quia sublata causa juris, manet tamen causa pietatis, ex qua solutum non repetitur. *L. 32. §. 2. h.*

RESP. (1) Casus ibi est ubi mulier putat se pro dote obligatam, quod putare non potest nisi sit vel mater vel avia; in his igitur est causa pietatis, ut dotem dent filiabus, iisque conditionem quarant; sublata igitur causa obligationis, manet causa pietatis. Secus ergo si extraneus dotem ex errore solverit. *l. 9. §. 1. Cond. caus. dat. ibi: igitur adversus mulierem conditio ei competit;* Unde in casu *Tuldenii h. n. 5.* ubi repetitio dotis supposititiae filiae datae negata est, male iudicatum puto. Sed & (2) nego gratitudinem pro pietate, uti in *d. l. 32.* haec accipitur, haberi: mater enim ex naturali

rali pietate tenetur dotare, at donatarius non tenetur remunerare.

OBJ. (2) *L. 25. §. 11. ff. Pet. haer.* Ubi dicitur donatorem donatarium sibi ad remunerandum naturaliter obligasse.

RESP. Obligatio naturalis ibi improprie sumitur pro ea, quæ ex virtute est, *B. Par. Hyp. Inst. tit. de oblig. §. 2.* eodem modo uti fideicommissa ex pudore eorum, qui rogabantur deberi dicitur in *§. 1. Inst. de fideic.*

OBJ. (3) *L. 54. §. 1. furt.*

RESP. Non ibi quaritur, an illi, qui remunerationem accepere, natura obligentur; sed an locupletiores facti sint? quod omnino affirmatur; nam lucri instar est, quod fieri & sperari remuneratio possit, is enim eventus, etsi incertus, est æstimabilis. Non ergo utilitas in eo est, quod certo accepturus sit, sed quod spem habeat.

Male autem *Bachovius* & *Bockelmannus* distinguunt, an solvens se putet ad remunerandum obligatum, & sic errore juris solvat, an non; illo casu non concedunt repetitionem, hoc vero casu concedunt.

Sed RESP. (1) vix quisquam tam ineptus erit, ut nesciat, si sibi donatum sit, se ideo non teneri ad restituendum. (2) Utroque casu est animus remunerandi, adeoque & donandi. Plenius hanc materiam excussit *B. Par. in disp. de Antidoris*, quo me remitto.

Qy. VI. *Quidnam sit debitum, quid indebitum?*

Præmittendum hic est, conditiones ex æquitate naturali oriri. Vide supra *tit. 4. q. 2. & hoc tit. q. 1.* Indeque inspicere hic non quod ex sola formula juris Civilis, sed quod jure Gentium, & ex æquitate naturali debitum vel indebitum est. *L. 47. in f. l. 64. h. t. quaest. 1.*

His ita præmissis dicimus in materia conditionum DEBITUM esse (1) *Debitum Naturale*, *l. 26. §. 12. cond. ind.* (id est, quod omnes effectus debiti habet præter actionem. Vide *tit. de Pact. q. 39.*) quia is qui contra æquitatem naturalem repetere vult, dolo quodam petit, nam dolo agit qui etiam occasione juris Civilis contra æquitatem naturalem repetit. *L. 1. §. 1. de dol. Exc.* Atque hinc est quod nudo pacto promissum, & errore facti solutum, non re-
peta-



petatur, quia naturalis obligatio subest. Vide *Lauterbach*, pag. 202, ubi plura exempla refert.

(2) Debitum *Civile*, est temporaria (secus si perpetua, de qua infra) exceptione elidatur. *L. 40. pr. Cond. ind. l. 26. §. 3. h.* quia debitum ea non negatur, vel tollitur, sed saltem differtur. Atque hinc fidejussor, ommissa divisionis exceptione, totum solvens, partem confidejussoris a creditore non repetit. *L. 49. §. 1. de fidej. Laut. p. 202. in med.*

(3) Quod in diem debitum est, *l. 10. h. t.* quia id natura quoque debetur, neque dies debitum tollit, sed solutionem saltem differt. Vid. *q. 8. de interfusurio*. Vide *q. 9.*

(4) Si solvitur pecunia mutua a filiofam. debita; quia non totum debitum jure Civili improbatur, sed sola actio; idque in odium scænratorum: *l. 40. pr. h. l. f. ad SC. Maced.* Vid. *Laut. p. 202.*

(5) Quod mihi a debitoris mei debitore solvitur. *l. 44. h. t.* Vid. *q. 13. & l. 44. tit. 7. q. 7.*

(6) Quod dominus servo debet; hoc enim, si manumisso solvat, condicere nequit; *l. 64. h. t.* quia natura debuit. *d. l.*

(7) Quod animo donandi solvitur. Vid. *q. 5.*
Sunt quoque (8) specialissimi casus, ubi is, qui nec jure civili nec naturali debet, repetere tamen solutum nequit. Uti (α) quod intuitu piæ causæ solvitur, forte si mater putans se obligatam ad dotem aliquid solvit, id non repetitur; *l. 32. §. 2. h.* quia cessante vinculo juris manet causa pietatis. *d. l.* Secus ergo si extraneus ex eo errore solvat. Vid. *Bus. ad d. l. 32. Mev. p. 2. dec. 190.* Conf. *Sup. q. 5. Obj. 1.* (β) Quod ex causa solvitur, quæ inficiando crescit in duplum, *l. 4. C. h. §. fin. Obl. quæ quas. ex contr.* atque hinc si quis ex lege Aquilia, vel ex deposito miserabili conventus damnum datum solvit, licet damnum non dederit, habetur pro debito; nec datum repetit, quia videtur solvisse, ne condemnatus duplum solvere teneatur: Et sic, cum de duplo transegisse videatur, quasi ex contractu hoc debitum oritur. *dd. II.* Hodie hic solutum habetur pro indebito, quia duplum ejusque metus hodie cessat. *Groenw. ad l. 4. C. h. Laut. p. 203. in pr.* (γ) Huc quoque pertinet, si pater creditori filii sui solvat ultra peculium, *l. 11. h.* etsi enim nec is ullo jure debeat, tamen contra officium pietatis paternæ esset solutum pro filio repetere.



Facile jam ex dictis apparet, quidnam sit INDEBITUM: Scilicet (1) quod nullo jure nec naturali debetur, nam hoc semper (exceptis casibus ante sub *n. 8.* recensitis) repeti potest, quia res sine causa est penes alterum. *L. 41. l. 7. h. l. 9. C. ad L. falc. l. 32. Reb. cred.* Atque hinc (α) pupillus, cum læditur, habet conditionem, quia nec naturaliter obligatur. (Vid. *tit. Pact. q. 30.*) Minor debet quidem, & non repetit; sed datur ei restitutio, si læsus est. *L. 2. C. si adv. sol. vel utilis conditio intra tempora restitutionis. L. 25. l. 5. h.* (β) Neque ex testamento imperfecto, *l. 7. C. h. vel ultra falcidiam, l. 1. l. 9. C. ad leg. falc. &c.* solum pro debito habetur, sed condici potest: Idem quoque est, (γ) si sub conditione debetur, *l. 16. h. t.* quia nec debitum præsens est, nec necessitas præstandi. Vide omnino *Laut. pag. 201. in pr.* Huc quoque pertinet (δ) si obligatio ipso jure extincta est, uti solutione, compensatione, &c. nam nullo jure hic debitum subest.

Atque ex his apparet, eandem rationem subesse (ε) debito per confusionem sublato, illud enim quoque indebitum est, de quo est *l. 38. h. t.* Cum vero hic textus inter desperatos vulgo referatur, liceat paucis ejus sensum hic evolvere. Casus hic esto:

Duo sunt fratres *primus & secundus*; Uterque a patre accepit 100. peculii nomine, *primus secundo* dat mutua 100. (Hic notandum, patrem vi patriæ potestatis acquirere creditum per *primum* filium, quia pater & filius in acquirendo habentur pro una persona; §. 4. *Inst. de inut. stip.* & debitum per *secundum* filium, quia ei permisit administrationem, unde peculiotenus tenetur ex ejus facto. §. 4. *Inst. Quod cum eo &c.*) Mortuo parte conferuntur peculia, quia in patris bonis sunt, indeque *primus* confert jus crediti, *secundus* vero debitum quod peculio inhæret.

Facta divisione hæreditatis *secundus*, memor debiti, solvit 100. fratri *Primo*, quæritur in *d. l. 38.* an solvens condicere illa 100. tanquam indebita possit? Equidem pro ea parte, pro qua ipse solvens patri hæres existit, res dubio caret, & eatenus omnino *secundus* repetere solutum, indeque 50. condicere potest: Nam *secundus* filius, idemque debitor, pro sua rata patri succedit tanquam creditori, (dixi enim ante patrem creditum filii *primi*, quia peculiare est, jure patriæ potestatis acquirere,) cum ergo hætenus & creditor & simul debitor foret, indeque 50. a se ipso petere deberet, necessario obligatio naturalis, quæ fuit, per confusionem pro
Cocc. J. C. P. I. Pp pp ca



ea parte perimitur: Et *secundus* si nihilominus illam partem solvit, tanquam indebite solutam condicere potest.

At pro ea parte, pro qua frater *Primus*, idemque creditor, patri hæres existit, adeoque ratione reliquorum 50. major difficultas est; & ibi distinguit JCtus, an tantundem ac *primo* solutum est ex *secundi* peculio ad eum pervenerit, an non?

ILLO CASU *secundus* omnino etiam reliqua 50. repetere potest. Nam hæc pars debiti exstincta fuit hoc ipso, dum *primus* hæres existit patri, quippe ad quem peculium *secundi* fratris cum suo debito peculiari pertinebat, quod proinde *primus* tanquam hæres pro dimidia solvere tenetur: Et hoc est, quod JCtus ait, *pro ea vero, qua frater hæres extiterit, ita repetiturum, si non minus ex peculio suo ad fratrem pervenisset, naturalem enim obligationem, quæ fuisset, hoc ipso sublatam videri, quod peculii partem frater sit consecutus.* Adeoque hoc casu *secundus* frater, idemque debitor, totam summam fratri creditori solutam condicit; vindicat enim (1) dimidiam partem, pro qua ipse patri (cui creditum *primi* fratris jure patriæ potestatis quæsitum fuit, & qui proinde creditor peculiaris factus est), hæres existit; (2) alteram dimidiam, pro qua *frater* patri suo (cui debitum *secundi* filii acquisitum fuit, & qui proinde debitor peculiaris factus est), hæres existit; nam cum jam ratione hujus portionis ipse incipiat esse & creditor & debitor, per confusionem perimitur obligatio, & sic *secundus*, si solvit, indebite solvit.

HOC CASU, si *primus* plane nihil ex peculio accepit, forte quod *secundo* peculium quod habuit prælegatum sit, hic reliqua 50. quæ solvit, repetere nequit; nam *primus* ratione hujus peculii non est hæres patris, adeoque non potest dici confundi obligatio indeque perimi: sed *primus* frater deducere hoc debitum ex peculio prælegato potest, idque ita tradit JCtus in d. l. 38. ibi: *adeo ut si prælegatum filio eidemque debitori id fuisset, deductio hujus debiti a fratre ex eo fieret.*

Sed quid si minus quam adhuc debitum est frater creditor ex peculio fratris debitoris consequatur?

RESP. Tunc cessat repetitio, neque frater debitor indebitum solvisse videtur; nam frater creditor, cui solutum est, hæctenus non est hæres debiti paterni; neque confusio quædam erit, quia non succedit suo debitori, neque in peculio, quia plus est in debito quam



quam peculio, neque etiam in reliquis bonis, quia illorum ratione pater non est debitor, sed saltem ratione peculii.

Confirmat hoc Jctus exemplo extranei, qui si post mortem patris debitum peculiare a filio *secundo* exigit, hic dimidiam a *fratre primo*, cohærede, repetere potest, quia peculium cum suo debito in bonis patris fuit, cujus hæres est frater *primus*, indeque pro rata hoc debitum peculiare ad eum transit. *d. l. ibi: idque maxime consequens esse ei sententiae, quam Julianus probaret: Si extraneo quid debuisset, & ab eo post mortem patris exactum esset, tantum iudicio eum familiae herciscundae recuperaturum a cohæredibus fuisse, quantum ab his creditor actione de peculio consequi potuisset.*

Adeo autem transit hoc debitum peculiare pro rata in fratrem *primum*, ut *secundus* conventus ab extraneo agere contra fratrem *primum* possit, ut pro rata solvat: *d. l. ibi: igitur & si re integra familiae herciscundae agatur, ita peculium dividi æquum esse, ut ad quantitatem ejus indemnitas a cohærede præstetur.*

Hinc jam concludit Jctus: *porro eum, quem adversus extraneum defendi oportet, longe magis in eo, quod fratri debuisset, indemnem esse præstandum. i. e. Si debitum peculiare, quod secundus frater extraneo debet, mortuo patre primus frater, idemque cohæres, pro parte præstare debet, nedum id præstare debebit, si ipsi ex peculio secundi fratris debetur; nam utroque casu, cum hæres sit patris, qui ex debito illo peculiari tenetur, hoc debitum ad primum fratrem pro rata pertinet.*

Et si vero *Græmo. ad d. l. 38.* putet dispositionem hujus legis hodie non amplius observari, quia pater non amplius acquirit per filium: Tamen, cum ratio hæc moribus Germaniæ fallat, (vide *supra L. 1. tit. 6. q. 20.*) non video, qui jus Civile mutatum dici possit.

Indebitum (II) quoque est, quod *natura* quidem debetur, sed jure civili ex justa causa vel tollitur, vel reprobatur, perpetuaque exceptione eliditur, uti (I) si juratum est nihil deberi, *l. 2. Juraj.* vel id judicatum sit, etsi revera debeatur; *L. 13. quib. mod. pign. l. 26. §. 3. h.* hoc enim tum ex utilitate publica, tum quia inter partes ita transactum est, jure Civili habetur pro indebito, indeque solutum repeti potest. *dd. ll.* (2) Quod vi metuque promissum natura debetur; *L. 21. §. 4. Quod met. caus.* at debito huic obstat jure Civili exceptio perpetua. *l. 9. §. 3. quod met. caus.* Ita si scæmina intercedit, natura debet, sed tollitur hoc debitum excepti-



one perpetua SCti Vellejani. *tot. tit. SC. Vellej.* Utroque ergo casu solutum condicatur. *Laut. p. 201. in f. Vid. l. 40. pr. h.* Alius casus est in *l. 9. §. p. SC. Maced.* de quo vide *q.* Atque ita solutæ usuræ ultra alterum tantum, etsi natura debeantur, tamen quia jure civili improbatæ sunt, tanquam indebitæ condicuntur. *l. 26. §. 1. h. l. 27. §. 1. Usur. Nov. 121. Nov. 138.*

Secus autem est, si non totum debitum perpetua exceptione eliditur, sed sola actio; ut si debitum filii, eliditur exceptione SC. Macedoniani; hæc enim non debitum, sed in odium sceneratorum solam actionem tollit; adeoque si solvit filius indeque actione opus non sit, non potest condici, quia debitum manet. *l. 40. pr. h. Laut. p. 202. Vid. infr. L. 14. tit. 6.*

OBJ. Quod aliquoties in præcedentibus dictum sit sufficere in conditionibus debitum juris Gentium; at hoc in præmemoratis casibus subest.

RESPONSIONEM, vide *infra q. 10.*

Qv. VII. *An id, quod pupillus sine tutoris auctoritate promisit, & solvit, tanquam indebitum condici possit?*

Laut. pag. 201. verb. Quod pupillus sine tutoris auctoritate AFFIRM. Quia pupillus nec natura, & sic nullo jure debet, indeque solutum condicere potest; tum quia ejus præjudicium est, tum quia jus Gentium hic inspicitur, quo pupilli non obligantur. *L. 41. ff. h.* Secus in minore, quia natura debet, indeque non condicit, sed læsus restituitur; de quo plenius *supra L. 2. t. 14. Qu. 30. & seq.*

DISSENTIT *Vinn. ad §. 9. J. de inut. stip.* quia pupillus natura obligatur. *d. §. 9.* At hoc tantum certo respectu, & ex ratione juris Civilis verum esse, & certis saltem casibus, sub quibus hic non comprehenditur, pupillum obligari, plenius *dict. quæst. 30. demonstravi.*

Qv. VIII. *An id, quod in diem debetur, & ante solutum est, repeti possit?*

Laut. pag. 201. verb. Quod vero in diem NEGATUR: Quia ibi jus statim natum est, & dies non debitum excludit, sed solutionem saltem differt, idque ita traditur in *l. 10. & l. 17. h. l. §. 1. ff. Cond. & dem. l. 21. Quand. dies leg.*

OBJ.

OBJ. *L. 1. §. 2. Cond. Et dem. l. 4. pr. Quand. dies legat.* Ubi legatarius, (cui in diem legatum est, scilicet, in casum si hæres moritur) si ante diem moriatur, ad hæredem nihil transmittit, quod omnino fieret, si actu ipsi jam jus quæsitum & verum debitum esset.

RESP. Ibi dies incertus est an sit exstiterus, qui pro conditione est; *d. l. 4. pr.* nam etsi certum sit, quod hæres sit moriturus, tamen incertum est, an legatarius sit præmorsurus, quæ incertitudo facit conditionem. *l. 75. ff. de Cond. Et dem. l. 22. pr. Quand. dies leg.*

Qv. IX. *Anne interim interusurium peti possit?*

NEG. Nam cum verum debitum sit, etsi peti nondum possit, non indebite solvit, indeque nec usuras illa ratione solvens exigere potest. Inprimis cum nec tum, quando res indebite soluta condicitur, usuræ peti possint. *L. 1. C. h.* Unde in *l. 26. C. Usur.* deciditur, quod principali actione non subsistente (uti hic, ubi plane nulla est) supervacuum sit super usuris iudicem cognoscere.

Laut. pag. 201. verb. Nec inter-usurium.

OBJ. *L. 39. h. l. 10. §. 12. l. 17. §. 2. Quæ in fraud. etc.*

RESP. Nulla harum legum loquitur de interusurio, sed prior de cautione omissa, quod illa, si per errorem omitatur, condici possit, reliquæ de soluto in fraudem creditorum; quod itidem a creditoribus tanquam indebitum condici potest.

DISSENTIT *Dn. Stryk. U. M. h. §. 2.* Vide omnino *Goth. ad d. l. 10.* ubi auctoritates pro utraque sententia allegat.

Qv. X. *An debitum vel indebitum hic aestimetur ex sola æquitate naturali?*

AFFIRM. Idque tum rationibus tum legibus passim demonstravi supra *t. 4. q. 2. Et sup. q. 6. in pr.* Conf. *Lauterbachius pag. 202. pr.*

OBST. *L. f. SC. Maced.* ubi dicitur, quod mutua pecunia a filiof. contracta exigere ab eo non possit, etsi paterfamilias factus per ignorantiam facti novaverit: hic verò est natura debitum.

RESP. Quia hoc debitum jure Civili improbatum, nec natura debetur; & obligatio naturæ, jure Civili reprobata, desinit, quia lex liberat quoque conscientiam, id quod in re judicata, & causa

PPPP 3

per



per juramentum decisa &c. satis apparet. Inprimis cum ex justa causa & in pœnam sceneratoris, obligatio reprobata sit: Atque hinc in dicta lege nec ex mutuo actio datur, propter *SC. Macedonianum*, nec ex novatione, quia ex errore fecit.

Qv. XI. *An judicis sententia iniqua absolutus solutum condicere possit tanquam indebitum?*

Laut. pag. 202. verb. It. in eo, qui injuria sententia &c. **A**FFIRM. (1) Quia injuria judicis condemnatus pro vero debitore habetur, vide *Laut. p. 202. pr.* ergo & ea absolutus pro non debitore haberi debet; major enim favor est absolutionis. *L. 47. ff. de Obl. & act.*

Accedit (2) quod debitum, cui perpetua exceptio obstat, repeti possit; *l. 26. §. 3. l. 40. Eod. Vid. sup. q. 6.* at creditori agenti contra debitorem absolutum obstat perpetua rei judicatae exceptio, indeque, si hic solvit, repetere potest.

(3) Sententia judicis, etsi iniqua, propter utilitatem publicam habetur pro veritate. *L. 25. ff. Stat. hom. l. 3. de agn. & al. l. pen. de Just. & jur.*

Atque hinc (4) nec propter instrumenta noviter reperta retractari potest. *L. 4. C. re jud. Laut. ad tit. de re jud. in f.*

Accedit (5) Quod partes adeundo judicem quasi transigere videantur, quod ejus sententia stare velint, atque ex hoc transacto natura quoque obligantur, etsi judex inique pronunciet.

Atque hinc (6) sententia lata non amplius quaeritur, an debitum, sed an judicatum sit, indeque novatio fieri dicitur. *Lauterb. p. 637.*

Ita (7) in *l. 13. Quib. mod. pign. solv.* absoluto debitore injuria judicis pignus liberatur, quod falsum esset, si naturale debitum maneret; pignus enim naturali quoque debito accedit.

Sed & (8) quaeruntur inde orientur confusiones? Sane debitor etiam jure absolutus ita nunquam tutus esset, quia omnis creditor debitorem injuria absolutum dicet: indeque posset ab hoc pecuniam mutuum accipere, eique postea repetere volenti exceptionem compensationis ex pristino debito opponere: Vid. *Laut. p. 273.*

Denique (9) hoc ipsum in quaestione est, an juste sit absolutus, an injuria; & hoc per sententiam semel decisum est, nova ergo lis desuper intentari non potest: nec unquam alias litium finis esset.

At-



Atque ita (10) sentiunt acutissimi Jcti *Struv. h. th. 38. Trentl. h. §. 10. lit. a. Cuj. in tr. ad Afr. 8. ad L. 21. commod. Quicquid dissentiat Vinn. L. 1. sel. qu. c. 49. p. m. 251. & Laut. pag. 202. ibique Dd.* In foro nihil mutatum apparet, nec præjudicia in contrarium exstant.

OBJ. (1) *L. 28. h. t.*

RESP. Agi ibi de eo, qui potuit appellare, at ultro, & sponte sua, neglecto juris beneficio, solvit; hic repetere nequit: Vel, agit de eo, qui forte conscientia convictus se debere ita solvit, tunc enim pœnitente postea nequit, quia semel agnovit debitum.

OBJ. (2) *L. 60. ff. Cond. indeb.* Ubi sententia judicis absolutus natura debitor manet.

RESP. Casus ibi est, ubi non expectata sententia judicis debitor ultro solvit, adeoque recessit a lite, & a sententia, quæ proinde, si sequitur, caret illo fundamento rei judicatæ & quod partes in eam consenserint, jam enim aliter pacti sunt.

OBJ. (3) *L. 8. §. 1. Rem rat. hab.* ubi debitori injuria judicis absoluto, si solum repetere vult, obstat exceptio doli, quia natura manet debitor.

RESP. Debitor hic absolutus est non a debito, nam hoc ipse semel agnovit, & procuratori creditoris solvit: sed absolvitur ab actione, quam creditor, qui solutionem procuratori factam non ratihabebat, contra debitorem instituit: Hic ergo naturale manet debitum, quia actio saltem injuria judicis contra verum debitorem denegatur creditori, debitum autem fuisse utrinque in confesso erat.

Casus hic est: Procurator meo nomine sub cautione rati exigit 100. a debitore meo Cajo: Ego ratum non habeo, indeque ago contra Cajum, sed injuria judicis pronunciatum Cajum rite procuratori solvisse: Interim procurator mihi solvit illa 100. & Cajus injuria judicis absolutus agit contra procuratorem ex stipulatu de rato, (nam cum dominus non ratihabuerit, ideo agere ex stipulatu contra procuratorem caventem potest) si jam ego suscipio defensionem hujus procuratoris, repellere possum debitorem Cajum exceptione doli, quod scilicet dolo agat, cum repetere vult illa 100. quæ natura mihi debebat, indeque recte procuratori meo nomine, & me jam ratihabente, solvisset.

INSTO, videri eum absolutum ab ipso debito, tum ex verbis *litam amisi*, tum quia dicitur, *naturale debitum manere.*

RESP.



RESP. Lis fuit non an debitum fuerit, hoc enim uterque fatebatur, sed an rite procuratori solutum fuerit, & hoc per injuriam judicis affirmabatur. Indeque debitor absolutus est non a debito, sed ab actione, quam dominus (cujus procuratori debitor jam solverat) instituebat; idque vel exinde confirmatur, quod debitor Cajus, injuria absolutus non condicat solutum procuratori, tanquam indebitum, sed agat ex stipulatu, quia id quod cavit, nimirum dominum ratihabitorum, revera non præstitit: sed & hæc actio inutilis est, si dominus accepta pecunia procuratorem in lite defendat, eoque solutionem factam ratihabeat. Conf. *Disp. B. Par. de Injuria judicis absolutio.*

Qv. XII. *An solutum ex imperfecta obligatione condici possit?*

Laut. pag. 202. verb. Imperfecta vero est minus plena &c.

RESPONSIONEM vide supra *quaest. 5.*

Qv. XIII. *An etiam id, quod debitoris mei debitor mihi solvit, indebitum sit, indeque condici possit?*

Laut. pag. 202. verb. Et de hoc casu accipienda est L. 44.

VIDETUR AFFIRMANDUM, quia debitoris mei debitor mihi nullo modo nec civiliter nec naturaliter obligatur: Unde *Laut. p. 202.* tum demum conditionem concedit, si debitoris mei debitor hujus nominis mihi solvat: Verum simpliciter potius dicendum, quod, si debitoris mei debitor ex errore mihi solvat, non sit indebitum: est enim is civiliter mihi non debeat, tamen ex bonis ejus mihi debetur, quia 100. quæ debitori meo debet, sunt in hujus bonis, & sic etiam in meis. *L. 49. l. 143. l. 213. §. 1. V. S.* Et exceptio doli obstat ei, qui repetit a me, quod statim restitutus est debitori suo, & hic mihi: Atque hæc egregie juri Gentium conveniunt, cujus principia explicavit *B. Par. in Disp. de oblig. haer. ex del. def.* Atque de hoc casu loquitur *l. 44. ff. de Cond. ind.*

Secus ergo ubi debitoris debitor non est, ut in *l. 19. §. 1. h.* ubi quis tanquam hæres solvit defuncti creditori, cum plane hæres non sit, adeoque non debeat, tunc repetitio competit solventi, quia indebitum dat. *Mev. 2. dec. 113.*

Cum vero *d. l. 44.* ejusque ratio hæcenus satis explicata non fuerit: casum ex disputatione mea *de assignationibus*, quæ sub nomine R. Parentis prodiit, referam: qui in §. 27. quibusdam verbis mutatis, ita recensetur: *Primus debet Tertio 100. ut vero se liberet,*
man-



mandat suo debitori *Secundo*, ut 100. solvat creditori *Tertio*. *Secundus* solvit quidem *Tertio*, at non nomine *Primi*, sed nomine proprio (licet revera non debeat); hic ergo videbatur *Secundo* danda conditio indebiti, quia solvit indebite, sed ait Jctus: *Repetitio nulla est ab eo, qui suum recepit, etsi ab alio* (scil. Debitore) *quam vero debitore solutum est*. Adeoque non datur conditio indebiti. Ratio hujus rei ex intimis juris gentium principiis desumenda est. Nam agit textus de debitoris debitore, id est de casu, ubi *Secundus* erat debitor *Primi*; Hic vero iterum debitor *tertii*. Hoc casu *tertius* creditor jus habet in omnibus bonis sui debitoris *Primi*, adeoque & in omni eo, quod huic primo debetur (nam hoc quoque in ejus bonis esse dicitur *l. 143. l. 213. §. 1. V. S.*) & consequenter etiam in eo quod *secundus* debet *primo*. Si proinde hic *secundus* solvit *Tertio*, scil. sui creditoris creditori, non potest dici *tertium* indebitum accepisse, quia quodammodo jus habebat, uti vidimus, in bonis *secundi*.

Hinc jam apparet, cur Jctus dicat, *quod hic Tertius suum recipiat, tametsi ab alio quam vero debitore solutum est*, nam etsi *Tertio* non solutum sit a vero debitore, id est *Primo*, tamen ab alio, scil. debitoris debitore id est *secundo*, solutum est, & cum *tertius* mediate in *secundi* bonis jus aliquod habuerit, recte ait Jctus, *quod tertius suum receperit*, adeoque non indebitum.

Tota vero ratio hæc cessat, quando *Secundus* non debet *Primo*, adeoque ubi *Secundus* non est debitoris debitor, tunc enim si *secundus* solvit *Tertio*, omnino condictione indebiti solutum repetet: Et de tali casu agit *l. 19. §. 1. de Cond. ind.* Ut proinde hi textus plane invicem non obstant. Conf. *L. 47. tit. 7. q. 7.*

Qv. XIV. *An is, qui ex errore juris solvit, repetere solutum possit tanquam indebitum?*

NEGATUR: (1) *L. 10. C. Jur. ign. cum quis jus ignorans indebitam pecuniam solverit, cessat repetitio: per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est.* Idem dicitur in *l. 9. pr. ff. h.* Ita *l. 6. C. verb. errore facti h. t.* Conf. reliquos textus autoris. (2) Subest hic justa causa, nam legem ignorantem denegatur actio, & sic in pœnam jus ei aufertur, indeque habetur pro sciente, & donasse videtur. *l. f. C. ad L. falc. l. 48. pr. de fidej. Cocc. J. C. P. I.* Laut. pag. 204. verb. In jure errans &c.

Cocc. J. C. P. I.

Qq 99

Vid.



Vid. *Laut. h.* Sed & (3) juris error prodest tantum rem suam petentibus, *l. 7. ff. Jur. ign.* adeoque cum certant ac contendunt ne rem suam amittant, non autem prodest ad id, ut suo facto amissam recipiant, ut hic.

OBJ. (1) Omnes illi textus, ubi simpliciter dicitur errore solum repeti posse.

RESP. In tot aliis id limitatur & restringitur ad errorem facti, ut in *l. 6. l. 7. C. h. l. 6. l. 7. l. 10. C. Jur. ign.* utpote qui proprie & ex ratione juris demum error dici potest; juris enim error scientiæ æquiparatur.

OBJ. (2) Omnes illi textus, ubi dicitur solum scientiam impedire repetitionem. *L. 24. l. 26. §. 3. h. l. 5. R. J.* non ergo error juris.

RESP. Ignorantia juris comparatur scientiæ, & paria sunt scire, & scire debere. *L. 8. ff. leg. Aquil.* Quin stulti dicuntur in jure errantes. *L. 9. §. f. vers. Quod si ff. de jur. ign.*

OBJ. (3) Iniquum esse, eum, cui nihil debetur, propter juris errorem dominum repellere posse, & solum lucrari: At conditio datur ex æquo & bono. *L. 32. ff. R. C.*

RESP. Non est iniquum, si dominus in jure errans suo facto transulit; sed contra, æquitas est, ne propter stultitiam actio detur, & succurratur jus ignoranti: *d. l. 9. §. f.* Adeoque hic est vera pœna ignorantia.

OBJ. (4) Quod error juris non noceat suum petenti. *L. 7. ff. Jur. ign.*

RESP. Hic non petit suum, sed suo facto amissum repetit.

OBJ. (5) *L. 7. de Cond. caus. dat. d. l. 2. §. 1. l. 3. l. 32. §. 1. l. 38. l. 59. h. l. 5. C. h. l. 79. de leg. 2.*

RESP. In omnibus his textibus agitur de errore facti.

OBJ. (6) Quod ex errore juris solum sine justa causa penes alterum, indeque æquum sit, ut restituatur. *L. 32. Reb. Cred.*

RESP. Subest (1) causa donationis, quia si errore juris solvit, habetur ac si sciens donasset; & hæc præsumta donatio. (2) quodammodo est pœna ignorantia juris, ut non admittatur probatio in contrarium: Eodem modo uti in pœnam furis dominus duplum, quadruplum &c. lucratur, etsi debitum non sit.

OBJ. (7) Quod nemo cum alterius damno locupletari debeat.

RESP.



RESP. Errans in jure habetur pro sciente, sciens autem damnum non patitur; sed & in pœnam talis lex constitui potest, uti in præscriptione, usucapione &c.

OBJ. (8) *L. 23. §. 2. h.* ubi ex transactione inutili solum repetitur.

RESP. Quæritur ibi tantum, an indebitum, non quo errore solum sit, ergo ponuntur ibi termini habiles, error scilicet facti.

OBJ. (9) *L. 1. pr. vers. si vero ff. Ut in poss. legat.*

Sed *Lauterbachius* ipse jam RESPONDET in exceptione tertia p. 203. in fin. scilicet nihil obesse hæredi, si caveat, tum quia remissa licet cautione adhuc actio competit pro legatis, tum ex favore ultimæ voluntatis, ne pereat; quæ ratio quoque additur in *d. l.*

Atque hæc sententia est communis & in praxi recepta, teste *Laut. h. Carpz. p. 3. const. 15. def. 45. n. 9. Harpr. §. 1. n. 54. & 56. Quib. mod. ra.* ubi alios allegat. *Peretz. C. h. n. 14. Tuld. C. h. n. 4.* ubi duram ait sed veram. *Sand. L. 3. tit. 14. def. 7. Frantzkius Ex. u. q. 8.* negat ob errorem juris conditionem dari, at affirmat ad *h. t. n. 44.* Ita *Brumm.* negat eam dari in *l. 10. C. jur. & fact. ign.* affirmat vero in *quaest. ad Wesenb. h. t.* Dissent. *Stryk. U. M. h. §. 4.* plurimi Dd. eam limitant, & restringunt ad casum, ubi ignorantia est crassa, sive juris naturalis, & ubi condicens agit de lucro captando; at tum, ubi solvens agit de damno vitando, conditionem hodieque ob errorem juris dari ajunt. *Carpz. d. def. 45. n. 11. seq. Struv. §. 40. h. ibique Dd.* Sed hoc ex præjudiciis *Carpzovii* non apparet, nam (1) loquitur de scemina (2) & quidem de scemina rustica; huic autem error juris non nocet, (3) de ignorantia statuti alieni, quæ licita est, (4) de errore facti, quia alterum putavit simultanee investium.

Ubi ergo moribus judiciorum aliud introductum non apparet, tutius inficitur dispositioni juris civilis.

Sed INSTO, pœnas privatas hodie sublatas esse.

RESP. Ad effectum actionis: At si quis ultro solvit, repetere nequit; ita per usucapionem hodieque acquiritur, quia ibi quoque non datur actio, sed in pœnam denegatur &c.

Qv. XV. *An dubitans quoque condicere possit?*

AFFIRM. per text. expr. in *l. f. C. h. Omnibus qui incerto animo indubitam pecuniam dederint etc. repetitionem non denegari & præsumtionem*

Laut. pag. 204. verb. dubitans in jure interdum &c.

Q999 2



tionem transactionis contra eos non induci. Vid. Laut. h. ibique Dd. Et in Colleg. pract. h. th. 16 Struv. h. th. 42. ibique Müller.

OBJ. Quod dubitans intelligatur esse in mala fide, indeque non ufucapit. Vid. *Laut. p. 573. pr.*

RESP. In nostro casu non quæstio est de bona vel mala fide. Neque enim dubitans aliquid in re aliena facit, nec alienum possidet, uti is, qui ufucapit; sed in suo agit, & suam rem transfert animo solvendi, id quod debitum putat. Sed tantum hic quæritur, quo animo fecerit: & respondetur animo solvendi: Quia nec donare nec transigere voluit, neutrum enim præsumitur; animus ergo solvendi remanet, sed, quia indebite solvit, repetere potest. *d. l. f.* Accedit quod in ufucapione de mero lucro dubitantis agatur, dubitans enim male re aliena utitur, non autem male utitur ea, quam voluntate domini accepit, uti hic. Atque ita in contradictorio pronunciavit Curia Halberstadiensis in causa *Fuchs contra Levin Meyer d. 4. Febr. 1706. & 13. Jan. 1707.*

Qv. XVI. Quis probet debitum vel indebitum esse?

Laut. pag. 205. verb. Quoad probationem vero debiti. **RESP.** Indebite solutum esse probat qui solvit, quia & actor, & contra eum præsumtio est, utpote cum nemo præsumatur suum temere jactare. *l. 25. pr. probat.*

OBJ. Quod creditor ante omnia debeat probare causam, cum in debito intentionem suam fundet, & actor sit.

RESP. Hoc ita verum ante solutionem, at ea facta, solvens id allegare nequit, quia solvendo agnovit debitum, quod in viro prudente jure non præsumitur temere factum. *d. l. 25. Vid. Dissp. B. Par. de direct. prob. neg. c. 4. §. 11. Et 12.*

AMPL. (I) Solvens multo magis illud probabit, si fatetur debitum, & id finitum, vel se exceptione tutum, indeque indebite solutum ait; hic enim contra eum præsumitur, tum ex confessione, tum ex solutione totius, ea vero quæ allegat sunt facti incerti, & fundamentum suæ intentionis, quod probare debet. *d. l. 25. §. 2. dict. c. 4. §. 13.*

AMPL. (II) Ut solvens indebitum probare teneatur, si fatetur partem debitam fuisse; *d. l. 25. §. 2.* nam & tunc magis suspecta fit ejus assertio, qui debitum agnoscit, & in quantitate se errasse contendit, quod facti est, & ab allegante probari debet. *d. c. 14. §. 14.*

Exc.



Exc. (1) Si reus neget sibi solutum, & eo convicto, actor dicat indebite solutum; tunc reus probabit debitum; semel enim mentito præsumtio obstat, & actor hac ipsa præsumptione probasse suam intentionem videtur. *d. l. 25. pr. d. c. 4. §. 16.*

Exc. (2) Si actoris intentio fundetur in præsumptione juris; forte si talis persona sit, quæ juris præsumptione per lubricum ætatis, sexus &c. inconsiderate solvere intelligitur, ut minor, scemina, rusticus. *d. l. 25. §. 1.* Actor enim intentionem suam per præsumptionem, quæ jure vera esse creditur, sufficienter docuisse videtur. *dist. c. 4. §. 15. Conf. Stryk. U. M. h. §. 9.*

Ut adeo planissima sit sententia dictæ l. 25. totaque tractatio intricata hujus materiæ, quam *Lauterbachius* varietate casuum involvit.

MORIBUS hic nihil mutatum apparet. Vid. *Stryk. U. M. h. §. 9.* Ubi & hoc observandum, quod is, qui probare debet, si aliam probationem non habet, confugere ad juramentum, illudque deferre alteri possit. *Laut. p. 205. in f. Conf. sup. tit. de Jurej. q. 24.*

INSTO, ita in arbitrio cujuscunque debitoris solventis est alterum juramentis divexare.

RESP. Cautum alteri est per juramentum calumniæ, quod a deferente exigere potest.

Qv. XVII. *An solutum pupillo condici possit?*

RESP. Dependet hoc ab illa quæstione, an pupillus obligari possit, *Laut. pag. 206. verb. pupilli etc.*

Qv. XVIII. *An conditio certi tantum de corporalibus, incerti vero de incorporalibus detur?* *non conveniuntur.*

Ita putat *Lauterb. h. p. 207.* sed male, solida differentia hæc est, quod conditio certi tantum detur, si pecunia numerata repetitur; de omnibus aliis rebus conditio incerti. *L. 1. ff. Cond. trit. l. 12. ff. Nov. vat.* Vid. *sup. quæst. 3.* Quid vero sit conditio incerti, plenius videbimus infra *ad tit. de condictione triticiaria*, ubi simul sensum legis *12. de Nov.* ab autore allegatæ, excutiemus. *Laut. pag. 207. verb. hæc certi, hæc vero.*

Qv. XIX. *An liberatio condici possit?*

AFFIRMATUR: (1) Quia omnes res incorporales, quæ sine causa penes alium sunt, condici possunt, ut cautio, promissio, *Laut. pag. 207. verb. liberatio etc.*

Q9993



veritus, &c. Vid. *sup. q. 4. & Laut. pag. 207. lit. O. ergo & liberatio.*
 (2) *L. 4. C. Cond. ob caus. &c. ibi: ut libereris obligationis &c. per conditionem consequeris. Conf. L. 13. ff. h. l. 3. C. h.*

OBJ. (1) *L. 10. ff. Cond. caus. dat.* Ubi mulier, quæ ei, cui nuptura erat, pecuniam quæ sibi debebatur acceptam fecit, nuptiis non secutis, condicit pecuniam; non ergo liberationem.

RESP. Hoc ipso, dum pecunia petitur, liberatio condicitur; neque enim opus est, ut quis præcise liberationem condicat, & tum demum actione repetita pecuniam petat, sed omissis ambagibus ipsa pecunia statim condici, atque adeo condictio cum ipsa actione cumulari potest; & tunc supponitur liberationem præcessisse, idque implicite continetur, cum debitor non potuerit ad restitutionem condemnari nisi liberatio præcedat, hæc enim subintelligitur & tacite sententia continetur. *Bachov. Vol. 1. Disp. 22. th. 1. lit. f. Müller. ad Struv. de Cond. caus. dat. th. 18. lit. V.* Eodem modo uti in iudicio rescindente & rescissorio id explicavi supra *L. 4. tit. 2. qu. 3.*

OBJ. (2) *L. 9. ff. Præsc. verb.* Ubi si tibi accepto tuli decem, ut mihi debitorem tuum delegares, nec delegates, teneris actione præscriptis verbis ad implendum: Immo tantum abest conditionem hoc casu dari, ut prior actio potius sublata dicatur in *d. l. 9.*

RESP. Agitur ibi de contractu innominato facio ut facias: ibi enim negotium perfectum est a parte ejus qui acceptum fert, indeque ab hoc pacto recedere non potest, etsi alter fidem non impleat, sed compellitur hic actione præscriptis verbis ad implendum. Vid. *infr. tit. de permut. qu. 8.*

Qv. XX. *An in conditione indebiti præter sortem quoque veniant usuræ?*

Laut. pag. 207. verb. sine usuris &c. RESP. Qui indebite solum condicit, usurarum restitutionem petere nequit (1) propter *L. 1. C. Cond. ind. ibi: Usuras autem ejus summae præstari tibi frustra desideras, actione enim conditionis ea sola quantitas repetitur, quæ indebite soluta est. L. 4. ibi: Quoties accipientis etc. turpis invenitur causa etc. datum condici tantum, non etiam usuræ peti possunt. C. de Cond. ob turp. caus. Vid. Cuj. L. 8. O. 34.*
 (2) Ratio quoque *d. l. 1.* satis clara est, nam cum ea actione tantum id, quod in-



indebite solutum est, repetatur, *d. l. 1.* per rerum naturam usuræ repeti non possunt, quia hæ solutæ non sunt, sed post solutionem demum perceptæ. (3) Neque ex natura actionis usuræ veniunt, quia in negotiis arbitrariis usuræ ex mora non debentur, utpote cum id saltem in negotiis bonæ fidei receptum sit: Accedit (4) Quod si quis agat ad consequendum id, quod antea ejus non fuit, toties usuræ non debeantur, *L. 3. §. Junct. L. 34. ff. Usur.* Hic autem agitur ad repetendam pecuniam, cujus dominus esse desiit condicens.

Sed & (5) ille, a quo pecunia condicatur, est bonæ fidei possessor, pecuniam justo dominii transferendi titulo acquisivit, indeque fructus ex re aliena lucratur, *l. 48. pr. A. R. D.* adeoque & usuras ex pecunia aliena. *arg. L. 34. Usur. junct. d. l. 48.*

Atque pro hac sententiâ pugnant *Struv. Ex. 18. th. 44. pr. Laut. p. 207. Carpz. p. 2. c. 30. def. 18.* ubi & præjudicium Facultatis Lipsiensis affert.

Neque OBSTAT, quod nemo debeat locupletior reddi cum alterius jactura. *L. 8. §. 22. transact.*

RESP. Hic non fit locupletior ex re aliena, sed sua, qui transfudit dominium condicens.

Equidem de jure Civili hætenus omnes consentiunt, sed moribus dispositionem juris Civilis obtinere negant *Müller. ad Struv. Ex. 18. §. 44. lit. v. Carpz. L. 4. t. 7. Resp. 50. n. 27. Lynck. ad Struv. th. 44. Ex. 18.* Idque ex duplici ratione tum quia in omnibus negotiis stricti juris hodie usuræ debentur. *Struv. Ex. 27. th. 49. in fin.* tum quia condictio indebiti est promutuum, in mutuo autem usuræ ex mora veniunt. *Ref. Pol. de Ann. 1578.* Verum utraque ratio fallit, nam quod priorem attinet, nullibi jus Civile mutatum vel abrogatum est; quin, cum in solo mutuo aliud receptum sit juxta *d. Ref. Pol.* inde concluditur reliqua negotia dispositioni juris Civilis relicta esse; inprimis cum derogationes sint strictissimæ interpretationis. Sane Dd. opinio ex cerebrina æquitate orta jura publice statuta evertere nequit. Altera ratio oppido falsa est, mutuum est verus contractus; quo dominium transfertur ea lege, ut tantundem restituatur, & tantum obtinet in rebus fungibilibus &c. quæ omnia secus se habent in condictione indebiti: Atque hinc hodie quoque usuras has condici non posse tradit *Tabor in relat. argent. ultima. Carpz. p. 2. c. 30. def. 18.* Conf. *Müller. d. l.*

At



At his non obstantibus pro dissentientium sententia iudicatum est in Curia Halberstadiensi in causa Fuchs contra Levin Meyer 4. Febr. 1706. & 13. Jan. 1707. & in Camera Marchiæ in causa des Obristen Ernst Erben contra die Gewandschneidergilde zu Salzwedel, Mense Majo anno 1723.

Exc. Si perceptæ sunt usuræ, quia tunc instar fructuum sunt. *L. 34. ff. Usur. fructus autem cum ipsa re condici possunt. L. 38. §. 1. ff. Usur. l. 7. §. 1. Cond. caus. dat. l. 31. pr. R. C.*

Qv. XXI. *An ille, qui conditioni indebiti renunciat, nihilominus condicere errore solutum possit?*

Laut. pag. 208. verb. Neque ob renunciationem expressam &c. AFFIRM. Nam ille qui renunciat certus esse debet de suo jure, *l. 23. A. H.* hic autem errat, quia putat se debere, & sic hic error excludit consensum, & si dubitasset, non solvisset. Atque ex eodem errore, quo fit solutio, etiam fit renunciatio. Vid. *Struv. h. §. 42. ibique Dd. Laut. in f. h.*

OBJ. (1) Quod renunciatus conditioni indebiti dicat se nolle condicere, etsi indebitum sit, & sic in casum erroris quoque.

RESP. Renunciat quoque in casum erroris, quia certo putat se non errare; nec ait se nolle repetere, etsi esset indebitum, nam esset donatio, quæ non præsumitur, sed ideo solvit, quia non putat indebitum, in quo errat.

OBJ. (2) Quod ita renunciatio specialis nihil operaretur, qua tamen partes aliquid agere voluere.

RESP. (1) Voluere aliquid agere sed errore, & opinione ac fiducia debiti. (2) Hæc præsumtio, quod aliquid agere voluerint, per aliam tollitur, quod non præsumantur donare voluisse.

Exc. Si alia mens, scilicet in alterum casum donandi, appareat. *Struv. d. §. 42. Uti formulam exhibet Fulgosius ad l. f. §. 3. h.*

Atque ita praxi obtinere testatur *Laut. in fin. h. t. & communem eam ait Struv. d. l. Conf. Müller. ibid. lit. 9. & Laut. Colleg. h. t. th. 24.*

DISSENTIT *Covarruv. var. ref. 2. ref. 4. n. 4.*



CONDICTIONE SINE CAUSA

Qv. I. Quotuplex sit haec conditio sine causa?

RESP. Duplex (I) *Generalis*, quæ cum prioribus concurrat, quia *Laut. pag. 208. verb. Hinc concurrat &c.* in omnibus deficit iusta causa, & deficiente causa deficit jus. (II) *Specialis*, quæ toties, quoties nulla priorum locum habere potest, in subsidium datur: Uti (I) si causa, quæ initio erat, postea casu aliquo deficit esse. *L. 2. h. l. 2. C. h. l. 11. §. 6. Et f. de Act. emt.* (2) Si debitor rei culpa sua amissæ pretium solvit, re postea inventa, conditio datur. *L. 2. h.* (3) Vi possessione dejectus rem repetit condictione sine causa. *L. 25. §. 1. furt.* (4) Instrumentum quod soluto debito penes creditorem sine causa manet, condicitur. *L. 2. C. h.* (5) Si quis rem alienam bona fide consumsit, condicitur pretium. *L. 11. §. 1. seq. Reb. Cred.* (6) Si annulus archæ nomine datus, & pretio ac re solutis, retentus sit, datur conditio sine causa. *L. 11. §. 6. act. Emt. etc.*

LIB. XIII. TIT. I.

DE

CONDICTIONE FURTIVA.

Qv. I. Anne haec sit ipsa conditio ob turpem causam?

AFFIRM. Sed, quia singularia quædam habet, seorsim tractatur. Singularia autem sunt (1) quod semper sit turpitudine accipientis, indeque semper detur conditio, cum conditio ob turpem causam aliquando cesset, si scilicet utriusque est turpitudine. (2) Quod detur ei, qui dominus est: Quod rationi conditionum maxime adversatur; nam per conditionem juris Gentium intendo *dari oportere*, id est, ut dominium in me transferatur: In hac conditionis specie autem nunquam amittitur dominium, indeque dari mihi non potest, quod meum adhuc est, neque enim tunc conditio

Cocc. J. C. P. I. Rrrr da-